



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Tertius. Meditationem Paßionis Domini prae caeteris esse
vtilißimam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

secundum modum sibi proportionatum, in speculatione primi Entis, suam perfectionem consequeretur. At nos de tali consideratione loquimur, quæ ideo sollicitè, & attentè Deum, Diuinaque scrutatur, vt eundem ardentè diligat, iuxta Psalm. dicentem, concaluit a cor meum intra me, & in moderatione mea exardescit ignis, scilicet amoris, quo amplius diligam, in tantum, vt quoties ex meditatione non subsequitur aliquis affectus siue sensitius, siue volitiuus, id est, secundum voluntatis desiderium mouens, totius etiam vt infructuosa speculatio, censeri debeat eiusmodi meditatio. Et quia inter Mysticos variat opinio, de orationis mentalis initio, consequenter dicemus,

An à meditatione incipiat Vita Mystica.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Nonnulli, eo quod ante statum, aut vocationem vitæ mysticæ, quosdam singulari probitate conspicuos, meditationis Summam etiam quasi inaduertenter absoluisse, aut quod in benedictionibus dulcedinis à Domino præuentos, morosa, vel imaginaria meditatione opus non habere; vel quod singulares diuinos modos in quibusdam sanctioris vitæ ignorarent, opinati sunt vitam mysticam non tam à meditatione, quam ab aspiratione, aut etiam, quæ indè facillè sequitur, amorosa contemplatione Diuinitatis princi-

pium sumere; quod licet in similibus locum habeat; attamen re ordinario cursu spectata, meditatio ad tollendam intellectus, & voluntatis in diuinis, & rebus rectè agendis ineptitudinem, exordium ponit in vita mystica. quo ita prius b sit, quod animale & infimum, dein quod spirituale, & perfectum est. Atque ita quoque dubium soluitur, an scilicet vita spiritualis à mortificatione, resignatione, humilitate, contemptu sui ipsius, & similibus virtutum exercitijs auspicianda sit: eiusmodi enim virtutes, ipsius meditationis actus & fructus sunt.

Concedendum est nihilominus, quosdam subindè gratia ampliori præditos, citiùs, faciliusque, & quasi absque vlla meditationis remora, aspirationis statum incipere, & ad contemplationis amorosæ contuitum transgredi in principio vitæ internæ. Conformiter autem ad communem praxin, postquam antiqua vita, & peccata præterita vnus, vel alterius c mensis spatio deplorata fuerint, ad meditationis exercitium se se transferet incipiens. Circa quam verò materiam meditatio fructuosè magis versetur, constabit exsequentibus,

Meditationem Passionis Domini præceteris esse utilissimam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Cvm inuisibilia d Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur: quidam distinctioni creationis, eiusque

a Ps. 38. b 1. Cor. 15. c Theol. Myst. apud S. Bon. in Prolog. d Rom. 1.

eiusque pulchritudini, aut virtutum
 auro, præstantiæque, penè totam vi-
 tam impendunt. quod quidem in pie-
 nioribus Scholasticis, diuinorum specu-
 lationibus summè deditis, quam maxi-
 mè commendandum est. Nonnulli
 enim in mitiore consuetudine viuendi,
 absque rigida illa corporis maceratio-
 ne, ad imitationem vitæ, & passionis
 Saluatoris nostri IESV Christi directæ;
 similibus consideratione se ipsos exci-
 tare possunt sufficienter; illi verò qui-
 bus propositum est pro virili stigmata
 Domini nostri IESV Christi, & crucis
 mortificationem, iugiter in suo corpo-
 re portare, (talibus hostijs ad purum
 scoriæ deprauatæ naturæ excoquen-
 tes) nequaquam eiusmodi speculatio-
 nibus occupari debent; sed absque am-
 bage, seipsos in corpore, anima, & spi-
 ritu ad integrum Domino holocaustum
 offerre habent; ac eum in finem, medi-
 tationem acerbissimæ passionis in pro-
 totypon; ac viuum Exemplar sibi ante-
 ponere; pro vt securissima doctrina, &
 ordine perlucido ad viuum deducit
 Bellintanus a noster, quo etiam Ordini
 nostri Iuniores Fratres, ad vtilissi-
 mam praxin imbuuntur. subinde ta-
 men pro animi alleuiatione, & varie-
 tate, de virtutum pulchritudine, Beatorum
 gloria, aut huiusmodi quippiam
 meditantur.

Hæc autem vt euidentiora fiant, fru-
 ctus aliquos meditationis Dominicæ
 Passionis apponimus. [fuit enim qui-
 dam Dei amicus, qui quæreret, quid-

nam b ei Dominus præstare vellet, qui
 in suis crebro vulneribus commoraretur.
 ad quod Dominus benignè respon-
 dit. Quisquis necessitatibus meis mila-
 rationis affectum impendens, aliquo-
 ties per diem, & noctem passionis meæ
 meditationi insistit, nouem inde vili-
 tates consequitur. Prima est, quod inde
 à peccatis omnibus mundatur, & quid-
 quid neglexit, ex meis illi meritis resti-
 tuitur. Secunda, quod ad resistendum
 securè hostibus suis ita confortatur, vt
 nullum ex ipso Triumphum referre
 queant. Tertia, quod ad bona quæque
 opera, diuersasq; virtutes peragens,
 vires accipit. Quarta, quod quamlibet
 breuissima eam cogitatione reuoluat,
 semper anima illius in mea gratia reno-
 uatur. Quinta, quod deuotè eam com-
 memoranti libenter ipsi commoror.
 Sexta, quod arcana mihi à Deo Patre
 manifestata, illi similiter pandam. Se-
 ptima, quod ante mortem illius ad per-
 fectionis eum perducam apicem, & de-
 functum cum charissimis amicis meis
 remunerabo. Octaua, quod nihil eor-
 um, quæ serio, & rationabiliter petit,
 illi denegabo. Nona, quod in morte illi
 aduersus hostes eius assistam, & de vi-
 ta æterna ipsum faciam certum, atque
 securum.] Vt autem vtilissima hæc
 meditatio facilius peragi possit, de no-
 tabilioribus eius partibus vltèrius age-
 mus,

*Meditatio tres habet partes substantia-
 les, videlicet, Preparationem, Me-
 ditationem, & Actionem.*

ARTI-

a in Pract. Orat. ment. b Taul. serm. de prepar. ad felicem mortem in fine.